

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua  
sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt**

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali  
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

**Strunck, Michael**

**Neuhusii, 1715**

B. Bernardus Comes de Lippe Religiosus Cisterciensis in Marienfeld,  
postea Episcopus Lealensis in Livonia

**urn:nbn:de:hbz:466:1-28481**

B. Bernardus Comes de Lip-  
pia ex milite religiosus Cistertiensis in Mari-  
enfeld, postea Abbas & Episcopus Lealensis  
in Livonia.

*Beati titulo decoratur à Chrys. Henrig. in Me-  
nol. Cisterc. ad diem 23 Ian. Buceino in Meno-  
logio Benedict. ad eandem diem. Schatento. 1.  
annal. Paderb. Vita ejus desumpta est tum ex iis-  
dem, tum ex Lippistorio Iustini, & Piderit. in  
Chron. Lippiensi part. 2.*

**B.** Bernardus ex illustrissima prosapia, quæ  
nunc est Comitum Lippiensium, illud  
imprimis rarum, ac singulare habuit, quod,  
cum à sæculari militia ad religiosam sese  
transtulisset, non modò Episcopali infulâ po-  
titus fuerit; sed etiam [a] tres filios eodē ho-  
nore insignitos enutriverit, Ottонem Episco-  
pum Ultrajecti, Gerardum Archiepiscopum  
Bremæ, Bernardum Episcopum Paderbornæ:  
ex quibus Otto suimet Patris, Pater autem  
unā cum eodem Ottone Gerardi filii conse-  
crator fuit. Adolescens annorum aliquot, li-  
terarum studia Hildesii didicit, ibidemq; in  
Ecclesia Cathedrali collegio Canonicorum  
adscriptus est. Quod vitæ genus, tametsi  
per illud tempus promptâ voluntate comple-

B 4

xus

[a] Schaten & Piderit. part. 2. pag. 421.

xus esset, postliminio tamen ob mortem alterius fratri, qui Bernardum hunc ætate præcesserat, nuncium illi remittere debuit, ad familiæ suæ propagationem, cuius ipse stirps unica cum supererat, à parentibus revocatus. Itaque è choro in arenam profliens, ad arma & gladios cœpit se convertere, breviq; in omni exercitio militari tantum valuit, ut inter præstantissimos ejus temporis Duces [b] prudentia Ulyssi, fortitudine Achilli comparatus fuerit. Pro Henrico Leone Saxoniz Bavariæq; Duce refractario annis pluribus egregiè decertavit; magis tamen commendatus à bellorum peritiâ, quam à bellandi causa, Haldeslebiam Ducatus Magdeburgensis urbem contra præcipuos Westphaliæ, Germaniæq; Proceres obsidione non una fortissimè tutatus est. Simonem Tecklenburgi Comitem, cum aliis Comitibus asseclis prælio vicit, cepitq; haud procul Osnabruge. Ditionem Coloniensem in Westphalia truculentis incursionibus divexavit, locis omnibus circa Susatum urbem miserè populatis: tantusq; in eo erat pugnandi ardor, ac ferocia, ut etiam, dum corpore debilis pedibusq; male affectus esset, abstinere tamen à negotiis belli non potuerit;

sed

[b] Tiderit. à pag. 315.

sed [c] lecticâ se in prælium deportari fecerit : tanquam si putâisset , inimico agmini vel suâ duntaxat præsentia animos excussū iri , quos militi suo afferebat. Sed quid adeo in bellis constans , quod non obnoxium vicissitudini ? Retroactâ Henrici Leonis fortunâ , etiam res Bernardi ita in pejus recidere , ut bonis , feudisq; omnibus Imperatoris sententiâ exutus , nihil retineret , quod non Episcopis , Comitiisq; vicinis in prædam cederet. Et quamquam postliminio in aliquam horum partem amicâ transactione revocatus fuerit ; placuit tamen non multò post etiam his ipsis per voluntariam abdicationem iterum se exuere , in terq; religiosorum septa vitæ hactenus illaudatæ maculas expurgare. Occasionem huic consilio dederat miseranda paralysis & contractio nervorum omnium , quâ jam ab aliquo tempore ita laborare cœperat , ut ad omnia vitæ munia planè inutilis vix posset ægram animam humi reptando ducere. Nulla manus ad usum aliquem expedita erat , incurvi languore pedes arcuatim concreverant , arebant nervi , stupebant crura , à lumbis ad plantas usque è membris omnibus purulentus humor & fædissima sanies profluebat. In hac

B 5

tam

[c] Schaten &amp; Piderit , pag. 391.

tam exulcerata sui corporis habitudine, cum  
vitæ superioris nævos desperatâ medicorum  
arte altius inspiceret, simûlq; ponderaret se-  
cum, non aliam e; jusmodi malorum causam  
esse, quām quodd ipse pridem Christum in suis  
membris persecutus fuerit, tandem in se re-  
versus votum concipit; si morbum evaderet,  
Deo se deinceps abjectis omnibus familiae  
curis militaturum esse. Non caruit speratis  
successibus facta missio: mox enim cœ-  
lesti beneficio ita dereliquit ipsum omnis in-  
firmitas, ut sibi restitutus ex integro non po-  
set sati capere potentiam Dei optimi, qui tam  
repentè ex afflictissimo corpore plenam vale-  
tudinem reduxisset. A studio tamen ample-  
tendæ religionis, quam decreverat, præter  
fluctuantem adhuc inter bellorum jacturas  
familiam abstinebant [d] Heylwigis uxor, &  
quos ex eâ suscepserat quinque filii. Ut ergo  
huic obstaculo finem faceret, primùm suę  
conjungi mentem aperit, eámq; licet initiò re-  
luctantem, immodico precum ac lacrymarū  
profluvio trahit in consensum. Tum deinde  
rebus ceteris ex ordine compositis, transla-  
táq;

[d] Ita appellatur in privilegiis urbis Lipstād. apud  
Piderit. pag. 427. videnturq; errare, qui eam vocant  
Petronillam aut Sophiam.

tāq; in Hermannum natum majorem filium hæreditate secessit in Monasterium Marienfeldense, quod anno 1185 fundatum erat, atque ibidem deposito militari lago cucullum induit anno, ut Schatenius computat, circiter 1194. Quantam tunc ubique statim admirationem peperit ista conversio? præsertim quod hi religiosi sub prima sui instituti tempora severissimam in arcta disciplinâ & paupertate vitam agerent. Ibat in humili neglectaque veste homo jam grandis natu aliâs auro, argentoq; superbè decoratus. Sufficiebant bene pasto ventri pulles & olera, cui prius perdices ac turdi in mensam allata fuerant. Vigilabat inter preces & nocturna cantica, qui quondam consueverat inter jocos & tripudia noctes amoenas ducere. Decurrebat manu rosarium, cui antè in ludis Martiis inter tympana & bellatores currere voluptas fuerat. Verbo: sic omni virtutum genere mentem excolebat, ut quantum aliâs fortitudine inter milites, tantum postea inter religiosos sanctitate, & piis moribus emineret. Neque satis erat illi suam duntaxat animam per exercitia vitae devotoris in tuto collocâsse, sed ad aliorū quoque salutem promovendam paribus procurrebat desideriis, ratus indignum fore tanti olim belatoris

latoris animo, si in militia sacra pauciores Deo  
prædas adduceret, quam sub auspiciis Martis  
profani suis ab hostibus abstulisset. Fervebat  
tum in Livonia hominum Paganorum ad Chri-  
sti fidem cœpta conversio: & erat opus viris  
industriis, qui laborem hunc sanctum pro suo  
in Deum zelo, doctrinâ & armis strenue ad-  
juvarent. Ad hoc negotium cum Westpha-  
lorum plurimi magnis animis eodem convo-  
larent, etiam Bernardus sese in iter obtulit,  
ductaque secum doctorum virorum colonia  
felicissimo cursu appulsus est Dunemundam,  
cubi jam anno 1201 Abbas fuit. Non multò  
post ab Alberto Livoniæ Episcopo ob insigne  
prudentiam & heroica facinora, quibus in  
bello sacro contra Barbaros egregiè se proba-  
verat, [e] ad Innocentium tertium Pontifi-  
cem Romam a legatus est, ut expositis ibi-  
dem Livoniæ periculis iterata subsidia flagi-  
taret. Prosperrima Bernardo fuit hæc lega-  
tio. Missæ ad varios Germaniæ proceres bel-  
li hortatrices literæ, nova Westphalorum  
Saxonumq; in Livoniam suscepta expeditio,  
barbari secundo armorum fluxu debellati,  
provincia in varios Episcopatus distributa,  
Bernardus in præmium rei bene gestæ Selo-  
niensis,

[e] Piderit. pag. 414 & sequent.

Deo niensis, vel ut alii ab arce vocare malunt, Le-  
 lensis Episcopus ab Alberto ad Archiepisco-  
 palem dignitatem jam promoto nominatus,  
 atque à [f] suomet filio Ottone sacris cære-  
 moniis consecratus est. Quantis exinde stu-  
 diis in procuranda gentilium salute dies, no-  
 tisq; desudârit, quis poterit paucis eloqui?  
 præter assidua precum exercitia haud aliis  
 ipsi labor erat, quām prædicare Evangelium,  
 rudes edocere, errantes in viam salutis redu-  
 cere, dubios nutantēs q; confirmare, excitare  
 templa, scholas erigere, & omnia, quæ ad uti-  
 litatem harum gentium conductura videban-  
 tur, sedulò apparare. Nec abfuere miracula,  
 quæ novellæ huic plantationi velut liquorem  
 de cœlo profluum Deus affunderet. Nam ut  
 ipse retulit Cæsario Heisterbacensi, [g] cùm  
 Neophytorum aliquis nuper susceptra fide re-  
 ligiosos haud procul ab altari cerneret sanctis.  
 simo Christi corpore impertiri, simūlq; ar-  
 dentissimis suspiriis anhelaret ad eandem es-  
 cam, ad quam illi tum fortè accessus adhuc  
 interdictus erat; piissimus Dominus sine sa-  
 credotis ministerio descendit de altari, ejusq;  
 ori illapsus famem pepulit, quā intus coqui

cœ-

[f] Schaten to. 1. pag. 903. ex Alberto Stadeni. Pi-  
 derit. pag. 422. [g] Casar Heisterbac.

cœperat. Nimirum per ejusmodi signa nutrita adhuc erat credentium multitudo , ut in recenti fide ampliora ad salutem plurium incrementa faceret. Non poterant tamen res Catholicæ tam fortunatis processibus semper ire , quin iterum subinde turbarum aliquid orcus moliretur. Post annos aliquot inter animarum lucra fructuosè positos , [b] iterum dæmon Paganorum animos in bella concitat,multiq; etiam è conversis ad idola relapsi, inductæ religionis initia conabantur excindere. Horum machinationibus ut se tempestrivè Bernardus opponeret, pro conquirendis contra barbaros novis suppetiis iter relegit in Westphaliam , unde jam alias sœpe rebus affictis non modicum è generosa nobilitate robur acceslerat. Inter ea res mira sese in filio ejus Gerardo dederat. Quo tempore is adhuc in æde Cathedrali Paderbornæ Canonicus erat, [i] homo ignotus gravi & sincera facie in ejus conspectum veniens ; Observa, dixerat, & noradiem hanc ; post annum hic in collegio Cathedrali Prepositus eris. Quod ubi factū fuerit, duas mihi donabis marcas. Anno evolutione cùm interea Gerardus Præpositorum adeptus

[b] Schaten to. i. Annal. pag. 990. Piderit. pag. 424. [i] Piderit, pag. 454.

deptus esset, iterum adest idem homo, iterumq; : *Observa, inquit, & nota etiam diem hanc: hodie post annum eris Bremae Archiepiscopus;* & tunc largieris mihi quinque marcas. Hoc etiam impleto vaticinio rediit tertium idem augur, acceptisq; etiam, quas petiverat, quinque marcis: *Duas, inquiebat, restibi, ut evenere, prædixi hactenus: nunc tertiam tibi pandam sine remuneratione: quadraginta annos vives in Archiepiscopali purpura, non plus, nec minus.* Et reverâ vaticinii veritatem probavit eventus: infulâ enim Bremensi potitus est anno 1219, eâdémq; rursus cum mortali vitâ exutus anno 1259. Ut autem ad Bernardum redeam; eo in itinere, quod pro suppetiis affrendis suscepserat in Westphalam, [k] ipse & Otto filius consuetis Ecclesiæ ritibus Bremæ consecrârunt hunc Gerardū, tali apud omnes animorum motu, ut plurimis præ ubertate gaudii ab oculis profilirent lacrymæ, cùm viderent senem Patrem & duos Filios uno eodémq; tempore Episcopali simul dignitate decoratos. Eadem occasione [l] Lipstadii urbe à se condita, quæ prima & hæreditaria

Lip-

[k] Piderit. pag. 455. Albert. Staden. apud Schatzento. 1. pag. 903. [l] Condita est à B. Bernardo teste Schaten pag. 786. & Pideritio pag. 330,

## Westphalia sancta,

Lippiensium Comitum sedes fuit, diversa dedicavit altaria, similiq; interfuit consecratiōni Ecclesiæ Marienfeldensis anno 1222. Reliquum hujus Westphalicæ profectio[n]is tempus exegit peragrando urbes & oppida, prædicando salutiferæ crucis signa gentilibus inferenda, promulgando Indulgentias Româ impetratas, excitando ad bella sacra nobiliū Westphalorum animos, tantumq; valuit oratio viri & sanctitate virtutis & generis claritudine inter suos spectatissimi, ut multa Germanum millia hortatu suo in societatem itineris & armorum traheret. Quantum exinde temporis post stabilitam his auxiliis Christi religionem in Livonia supervixerit, omnino incertum est. Mortem obiit annorum & meritorum plenus in arce suâ Lealensi, die, ad quem refert Menologium Cisterciense, 23. Januar. sepultusq; [m] Dunemundæ ubi primo Abbatem egerat.

[m] Piderit. pag. 429.

## B. Bertholdus, Canonicus

Præmonstratensis Scheidæ in Marchia  
Westphalica.

Refertur in actis SS. apud continuat. Bollandi

to, 4